Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.iii.

magna amicicia delphini piscis ad hominem. Nam sepe ad naves venit et iuxta naves ludit et salit et nautis huiusmodi signis pericula imminencia pronunciat tempestatis. Hic eciam piscis si hominem mortuum in mari invenit ipsum non solum comedit sed ne ab aliis comedatur obsistit ipsumque ad litus adducit. Dicitur tamen quod si homo ille umquam de delphino comedit quod piscis hoc de odore cognoscit et sic de eo comedit quasi in eum vindicans quod amiciciam non servavit. Nota tamen quod requiritur ad veram amiciciam ut omnino sit pura nullo veneno maculata non superba non vana. Unde serpens qui dicitur vipera qui magnam habet amiciciam cum pisce qui appellatur murena quam copulam eius requirit ad mare vadit et eam sibilo vocat ab aquis et prius quam illi se uniat omne prius venenum deponit per quod patenter ostendit quod nihil habere debet amicicia fraudis. Unde narrant philosophi quod qui argentum debet auro miscere et per malleacionem ei incorporari necesse est a tribus sollicite servari scilicet a pulvere vento et humore. Nam quod cumque horum se in medio interponat impossibile est quod perfecta unio fiat, ymmo postquam ea malleo percusserit se unum cum alio non tenebit nisi illud medium prius amoverit. Et ideo oportet in loco valde mundo et a pulvere ventis quoque quieto unionem auri fieri cum argento ut esse possit inseparabilis unio quia non potest vera amicicia ibi esse ubi interponitur ventus superbie pulvis avaricie et humor inmundicie.

Est eciam ad notandum ne amicicia que est creature ad creaturam sit nimia vel creati limitis excessiva. Nam et anima quasi sine carnis est nimium amativa cito declinat a iusticie semita et ruit in culpam. Est ergo in amicicia medium observandum et extremum est fugiendum quia solus locus medius securat modum. Omnis enim virtus politica est penitus nulla si recedens a medio si sit superflua vel fuerit diminuta. Teneo igitur